



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis & Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Feria Tertia Pentecostes, Acto. XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

PENTECOSTES.

dunt Sanctos. Ita singuli aliquo modo cruci fixerunt filium Dei. Diligenter igitur hæc particula consideretur, & ut nostra peccata agnoscamus, & ut discamus, gratiam exuberare super peccatum.

FERIA TERTIA PENTECOSTES, ACTO. XV.

Serrexerunt autem quidam de Hæresi Phariseorum, qui crediderant, dicentes, q̄ oportet circuncidere eos, & præcipere, seruare Legem Moysi. Conveneruntq; Apostoli & seniores, uidere de hoc uerbo.

Cum autem magna disceptatio fieret, surgens Petrus, dixit ad eos: Viri fratres, uos scitis, q̄ ab antiquis diebus Deus inter nos elegit per os meum aū dire gentes uerbum Euangeliū, & credere. Et Deus, qui nouit corda, testimonium perhibuit eis, dans eis Spiritum sanctum, sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis

IN DIE.

tentatis Deum, ut imponatur iugum
super ceruices discipulorum, quod ne-
que patres nostri, neque nos portare
potuimus? Sed per gratiam Domini
Iesu Christi credimus saluari, quemad
modum & illi.

QVÆSTIO.

CVM Apostoli instituerint ceremonias, ui-
detur utrumque sequi, quod & uelit Deus
coli talibus ritibus, & Ecclesia posset imi-
tatione Apostolorum instituere cultus? Respon-
deo tripliciter, Primum Apostoli hæc non institue-
runt, sed usitata antea retinuerunt, propter pro-
babiles causas, & ne alienarent imperitiores.
Quia mos erat captis urbibus, quæ recipiebant ue-
ri Dei cultum, sine ceremonijs Mosaicis, tamen
hæc imponere, propter grauiſſimas causas. Iam
si Apostoli & hunc morem sustulissent, dixissent
aliqui prorsus Ethnicissimum fieri. Ac de his non
dubium est, necessarium esse prohibitionem idola-
triae, Idolothytorum, & scortationis.

Cætera duo, de sanguine & suffocato uiden-
tur esse ex ἀδιάφοροις, Ideo autem hæc obserua-
rio magni siebat, quia tradita est Noe, & mul-
to uetusior est Moise, & circumcisio. Fuitq;
hunc

PENTECOSTES: 8.

Huic Præcepto additæ prohibitio homicidij.
Quare simul fuit symbolum politicum. Sic ab
esu sanguinis, penè ut à cæde abhorrebat ho-
mines. Quare credibile est, Patres hæc imposuisse
gentibus, ut quamvis Lege Mosi non onerarentur,
tamen haberent aliquas ceremonias utiles disci-
pline causa, quæ admonerent de uero cultu Dei,
et de præceptis diuinis, et discernerent nouos ci-
nes Ecclesiæ Dei ab alijs genibus, que adhuc ser-
uiebant Idolis. Retinuerunt ergo Apostoli usi-
tatum morem traditum à Patribus, et continen-
tem non ceremonias excogitatas humana autori-
te, sed diuinitus traditas, quarum aliqua erat uti-
litas. Et in hac re uitauerunt offensiones et sca-
dala eorum, qui fuissent alienati, ab Euangeliō,
si ne hunc quidem morem uetusiorē Lege re-
tinuissent. Nam quod habuerint scandali ratio-
nem in hoc casu inde apparet, quod non ubique
abstinebant à sanguine.

SECUNDA RESPONSIΟ

de cultibus.

Necessaria cū fiunt uera fide, et fiducia filij
Dei, sunt cultus, id est, sunt opera, que Deus
approbat, consecrata ipsius uerbo, et qui-
bus iudicat se honore affici, cum ea facimus in fi-
de, ac ut ei obediamus, et eū celebremus. ut fugere
Idola, nō pollui uagis libidinibus, sunt ueri cultus,
si fianc

IN DIE

Si fiant ut dictum est, Sed tamen et de necessariis regula tenenda est, quae hic traditur, quod propter haec non detur remissio peccatorum, sed propter filium Dei, sicut hic dicitur: Fide purificans cor da. Sic et olim ceremoniae Mosaicæ erant cultus, cum adhuc uerbo Dei consecratæ et præcepta essent, si tamen fiebant in fide, id est, fiducia uenti ri Messiae, et propter confessionem. His ritibus testabantur israelitæ, hunc esse uerum Deum, qui hoc uerbum tradiderat.

Postquam autem illuxit Euangeliū, de aeterna iusticia et uita, et ritus Mosaici desituri erant una cum Politia Mosaica, ritus pleriq; iam erant ἀδιάφοροι. Horum aliqui retineri poterant, disciplinæ causa, uel propter confessionem. Retinuerunt igitur Apostoli ritum de sanguine disciplinæ causa, et propter confessionem, quia ritus ille erat Symbolum, seu Sacramentum, scuerissima prohibitionis de cede, et prohibitio illa adiuncta erat legi de sanguine. Quare propemodum sanguinis esum, sic abominabantur Iudei, ut cedem ipsam. Cum igitur tot causæ concurrerent, disciplina, scandalum, et confessio, uisum est Apostoli hunc ritum retinendum esse, praesertim in ijs locis, ubi causæ illæ ualebant. Retinuerunt autem non ut cultum, ac multo minus uoluerunt esse ritum remissionis peccatorum, aut iusticiam.

TER

PENTECOSTES. 9.

TERTIA RESPONSIO.

NEC ualeat consequentia: Apostoli hæc retinuerunt, ergo licet Ecclesiæ noua instituere, tanquam cultis. Neganda est consequentia, quia Apostoli non instituerunt, sed retinuerunt hunc ritum, propter causas, quas dixi.

Deinde etiam si quid noui instituissent, non sequitur, imitationem concessam esse. Semper hæc imitatio nocuit Ecclesiæ. Primum Patres mandato diuino instituerunt certos ritus, & sacrificia postea imitatio ex falsa persuasione, exco gitauit uaria sacrificia, etiam hominum mactationes. Ac minime ualeat consequentia: Apostoli retinuerunt propter disciplinam & scandalum, ergo licet imitari, aut fingere nouos cultus.

Neque hæc consequentia ualeat: Apostoli quosdam ritus tradiderunt, ergo licet cæteris Episcopis, nouos ritus instituere. Quia Apostolica uocatio longe superat Episcopalem. Apostolis primum tradidit Deus nouum ministerium, & per eos instituit aliquid noui. Episcopus uero est auditor, & accipit uerbum, & ritus ab Apostolis, cum certo mandato, ut hæc non mutata tradat Ecclesiæ.

DOMINICA TRINITATIS EVANGELIVM,

b Iohann.